

sten Tage eine fröliche Auferstehung.
Tröste alle Leidtragende / und Lehre
uns sämblichen bedencken / das wir
sterben müssen / auff das wir
flug werden.

Amen / Herr Jesu / Amen!



RECTOR
ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS,
ANDREAS KUNADUS,
S. S. Theol. Doct. & P. P. Consistorii Eccle-
siastici Assesor, & Electoralium Alumno-
rum Ephorus,
CIVIBUS ACADEMICIS S. P. D.

Nuxit clarissimorum luminum
ereptionem hactenus Academia nostra, &
acerbiori plurimorum fato indoluit; cæte-
rùm nunquam, sive meritorum vel numerum
vel pondus æstimemus, sive Humaniorum
literarum jacturam metiamur, major nobis
accidit clades, ac justior doloris occasio venit, quàm cum su-
premus rerum Arbitrator, Clarissimum & multis maximè virtu-
tibus illustrem Virum, AUGUSTUM BUCHNERUM nudius
octavus avocaret à statione, quàm fama, auctoritate, annis &
bonis omnibus factis ita implevit hucusque, ut magis à nemine
possit. Recruduere novo vulnere vulnera, quæ coaluisse qua-
dantenus, atq; ad non immatura adolevisse solatia videban-
tur. Nunc, ut Maronianum illud ingeminemus,

*Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicit, aut posset lacrimis æquare dolorum?*

Lacrimis inquam. Neq; enim loqui nos mæstitiæ magnitudo
sinit, nec intra animi sedationis silentia condi impotentissi-
mus affectus potest. Quæ nobis secula alterum reddent
BUCHNERUM? Quæ Iustra Viri referent judicium, sapien-
tiam, & incredibili humanitate temperatam gravitatem? Quo-
tusquisque annus ea parturiet ingenia, quæ & Magnatibus
pretiosa, & officiosa omnibus fuere. Formidabile incolis
subest interpretamentum, ubi ædificiorum non contremue-

sunt duntaxat, sed dilapsæ penitus columnæ sunt. Nobis, quanto & omini, & periculo (quod utrumq; quidem mitissimi Numinis benignitas avertat!) luctuosissimus venerandi SENIORIS NOSTRI obitus futurus sit, non tam scrutandum, quam castissimis deprecandum est votis. Roboranda interim ad meliora spes: cumq; nostræ inter sit & pietatis, & in Opt. universi Moderatorem observantiæ, arcatis acquiescere consiliis, compositâ ferendum mente, quod mutare nequeas omnino. Neq; nos præficarum nunc sustinebimus parteis, ut dolorum nutrimenta disseminemus late, ac foveamus; id potius agendum, ut solenne vobis, ACADEMICI CIVES, Excellentissimi, quem diximus, Viri, AUGUSTI BUCHNERI, Humaniorum Liter. per XXXV. ferè annos, P. P. Academiæ Senioris, & alumnorum Electoralium Ephori longè optimè meriti, Collegæ nostri desideratissimi funus indicetur. Jacturam, quam in tantò fecimus Viro; nec explicare verbis integrum nec, si vel maximè abundaremus iis, in præsentis scripturæ angustiam augustissimum BUCHNERI nomen veniret. Dabitur alius, amplissimum hunc decurrendi campum locus. Nos summa in præsentia capita, atqve ea quidem extremis, ut ille ait, digitis tangemus, quæ singula tamen atq; universa, uberrimam dicendi materiem suppeditare videbantur. Natus itaqve noster, ex Nobili & antiquâ familiâ, A. c. l. s. XCI. d. II. Novembris, ipsâ dimidiâ quarta matutinâ, in Electorali Dresda est. Quæ cum jampridem, hanc sibi propriam effecerit laudem, ut politissimorum parens ingeniorum audiat, natalia, si ulli, BUCHNERO, citra controversiam jura tribuebat. Patrem habuit Nobilissimum & maximè Strenuum, Dn. PAULUM, Virum in tantum celebrem, in quantum Regum Ducumq;, Propter Virtutum merita favor, intelligi à quoquam potest. Hic ille PAULUS est, qui cum bellicarum artium, tormentariæ imprimis, peritissimus haberetur, præclara in Belgio, sub Hispaniarum Rege, Italia item atqve Gallia, stipendia meruerat. Approbavit suum ille ingenium, Legato Supremo Exercitus regii, EMMANUELI PHILIPERTO, Sabaudia Ducis, nec aliter ab eo, quam Cha-

nissimus Amicus appellatus: postqve à CAROLO EMMANUELE, legitimo hærede filio, torqve donatus aureo est. Honestè militari sacramento solutus Dresdam concessit: ubi, cum splendidissima virtutis suæ edidisset specimina, factum est, ut à Divo Electore AUGUSTO, tormentariæ rei & Fabricis præficeretur. Quas partes, quâ autoritate, quâq; gesserit solertia, cum non una Dresdæ Structura condoccat, præstabit filere, quam in ferali hæc exponere scriptura. Id tamen præmittere non possumus, quod cum propter militaris pariter & architectonicæ prudentiæ experimenta, aliquando à Serenissimo Dania Rege, aliquando ab Inviçtissimo Imperatore, RUDOLPHO II. cum amplissimo salario ad bellica invitaretur consilia, maluerit tamen sub Divis Electoribus, AUGUSTO, CHRISTIANO I. & II, stipendia facere, quam desultoriis servitiis fata sua sollicitare. Ipse interim ab imperatore, torqve ornatus honorificentissimè fuit, dato insuper Nobilitatis majoris Diplomate, quo eodem omnium dignitatum Equestrium & Ecclesiasticarum jura ipsi atqve posteris ejus data atqve concessa. Ut jam nihil dicamus quam liberalia & magnifica ipsi à CAROLO V. indulta fuerint privilegia. Avum nactus est Virum Strenuum & militari gloriâ vel maximè conspicuum GEORGIUM: qui, postea quam diuturna Libera Nobilitati Francicæ, & equestria quidem præstitisset officia, ductâ hinc uxore, Noribergæ tandem fixit sedem. Ita igitur equestri virtute nobilitatum BUCHNERIANUM nomen est. Quod ut consummaretur magis, literarum restare splendor videbatur: sed quæ ipsæ ab AUGUSTO nostro augustissima acceperunt ornamenta. Matre natus est MARIA, Clarissimâ Foeminâ, Amplissimi prudentissimiq; Viri Dn. SEBASTIANI KRÖSII, Serenissimi Electoris Saxonie quondam Cubicularii, Dresdensiumq; Consulis Gravissimi filiâ. Auspicatissimos natales prudens exceperat educatio, quâ effectum facile fuit, ut prima illa ætas ad virtutum, quas adultior perfecit, elementa fidelissimè componeretur. Neque enim difficile esse poterat, ex liberalissimâ indole claritudinem, ex puero, Virum interpretari. Scholæ idcirco patriæ traditus, cum & inter

medios Teutones Grajus, inter Dresdenses Romanus appa-
 ruisset; in illustrem deportatus est Ludum Portensem, ipsis Idi-
 bus Novemb. A. cl. lxx. IV. Hic verò quanta pietatis, in-
 dustriæ ac eruditionis specimina edidit? quàm arcano omni-
 & Magistros & Condiscipulos sibi intra sexennium devinxit
 nexu? Solent qui tractandis operam cavallis navant, à pri-
 mo actutum ortu, naturæ generosioris pullum à degenerè di-
 scriminare: si vividiore motu, si sublimiore gresu, si capite
 arrectiore sit, si iras pugnaciter spirante naso adhinniat, asul-
 tet & agillimè huc illuc moveatur. Prorsus aliquid simile
 in BUCHNERO adolescente, pleraque generosa minante, ob-
 servabatur. Attonitus tamen non nihil nobilissimus ite co-
 natus fuit, cum intra triennium, quo Portæ literis invigilasset,
 Parente orbaretur Noster. Misus autem tertio post anno
 Wittebergam, non intemptivo suorum consilio, civem Aca-
 demia nostræ dedit ad A. cl. lxx. X. XIII. Kal. Decemb.
 Pro-Rectore DN. D. LEONHARDO HUTTERO. Recto-
 ris enim Magnificentissimi munus exornaverat tum temporis
 Illustrissimus Saxoniae DUX, AUGUSTUS, Episcopus Num-
 burgenfis & Zicensis, Landgrav. Thuring. March. Misniae
 &c. DIVI JOHANNIS GEORGII I. gloriosissimæ memoriæ,
 Frater. Hic verò quàm frugem inde reportavit BUCHNERUS!
 quantas patriæ polliceri spes videbatur! In præclaro tamen
 hoc instituto, impeditus facilè fuisset, ob valetudinis, quàm
 pertenuem annis junioribus & sæpè adversam continuaverat,
 rationem; si animo frangi tam facilè potuisset. Sed altiori-
 bus fata Virum reservârunt. Post excessum enim DN. D. JO-
 HANNIS RHODENBURGII, cum Poeseos Professio vaca-
 ret, huic ipsi post legitimam denominationem, Electorali au-
 thoritate surrogatus est Noster, A. cl. lxx. XVI. d. XII. Martii:
 quo ipso etiam tempore, primus inter 46. competitorum, cum
 summâ laude renunciatus Philosophiæ Magister fuit. Idem
 ille annus honores publicos connubii quoque foedere auxit.
 Quippe paullo post, celebratis ritu Christiano sponsalibus,
 solenni pompâ domum duxit Clarissimam Virginem ELISA-
 BETHAM, Viri spectatissimi DN. JACOBI CRAUSII filiam:

nunc moestissimam viduam. Quâ cum per hos ipsos XLV.
 fere annos, tam amicè, ut nemo magis; tam feliciter, ut nume-
 rosam ex una prolem, per Dei Gratiam, susciperet, convixit.
 Undecies enim mater facta lectissima Uxor, enixa est MARI-
 AM ELISABETHAM, CHRISTIANUM AUGUSTUM,
 PAULUM, ELISABETHAM, JOHANNEM, ANNAM
 MARIAM, JOACHIMUM FRIDERICUM, DOROTHE-
 AM CHRISTINAM, JACOBUM WILHELMUM, DO-
 ROTHEAM, & PAULUM. Superstes verò Numen esse
 voluit, cæteris ad se receptis, Nobilissimum Filiorum Filia-
 rumq; par. Atque principe quidem hic memorandus loco
 venit Nobilissimus ac summè Strenuus Vir DN. CHRISTIA-
 NUS AUGUSTUS, apud Serenissimum Electorem Saxoniae,
 Rei tormentariae & Fabricarum Praefectus. Inter foeminas
 præcipuâ laude eminet ELISABETHA, Prænobilis ac JCrissi-
 mi DN. HENRICI COSELI, J. U. D. Pandect. P. P. Curiae
 Electoralis, Scabinatus & Facult. Juridicæ, quondam Assesso-
 ris, relicta Vidua: cui tantò acerbius in præsentem luctus hic ac-
 cidit, quantò majus momentum est, nuper maritum, mox Pa-
 rentem amisisse. Tertius inter incolumes adhuc adest Stre-
 nuæ Nobilitatis JACOBUS WILHELMUS, quem cum li-
 teraria militaris insuper Virtus, postquam inter equestres Sve-
 corum ordines, Sub Praefecti turmae nuper præclarè exer-
 cuisset spartam, facilè commendat. Vidit superior annus
 inter vivos etiam JOHANNEM, Cohortis Praetoriae, in le-
 gione summi, Tormentariae Rei, apud Serenissimum Polono-
 rum Regem, Praefecti, Protribunum. Idem ille tamen lento
 haud ita pridem extinctus est morbo. De Clarissimâ, super-
 stite DOROTHEA virgine, quid verò dicemus? Luget, squa-
 let, funus simul ipsa facta est cum Matre, Fratribus, Sorore.
 Quamquam si vel Status, in quo degunt omnes, felicitatem, vel
 educationis, quæ vix millesimo contingere talis potest, matu-
 ritatem tranquillo æstimare animo dignentur; præsentissima
 mœrori applicare lenimenta facilè queant. Sed nunc ad
 BUCHNERUM nostrum iterandus est aditus. Opprimimur

dicendorum ubertate: nec prolixior ordo nobis; nervus exprimens est. Quis verò hic eloquentiam facundiamq; tanti Viri, quis dicendi copiam, quis disserendi facultatem satis prædicabit? Et his sc. virtutibus suis meruit, ut ei A. cl. Ioc. XXXI. Oratoris Academici munus, Electorali autoritate conferretur; quod ipsum ita deinceps ornavit, ut inter Germanos disertissimus meritò haberetur. Sanè nihil antiquitatum mores, nihil populorum instituta, nihil temporum continuerunt gesta, quod non ad amussim BUCHNERUS calluisset. Tullium cogitate, cogitate Platonem, Catonem mihi memorate, BUCHNERUS erit. Non Gallia eum, non Batavia, nec remotior quis ignorabat Sarmata. Mortuum ne dixerimus, qui in tot præclarissimè elaboratis scriptis voluminibusq; vivit? Edita horum plurima, plurima post fatum publicanda, æternabunt BUCHNERIANUM nomen. Vidit, vidit DIVUS JOH. GEORG. I. SEPTEMVIR, quàm, in BUCHNERO, cum auctoritate auctoritas, cum auctoritate fides certaret de primatu. Clementissimè igitur ei demandavit in alumnos Electorales, Ephoriam, A. cl. Ioc. XXXVII. Quam ille provinciam, tam gessit laudabiliter, ut nec optando quis potuisset magis. Quæ verò arcana vis fuit, quâ Magnatum, sine palpo (in quo, maxima seculi nostri sive labes, sive tabes sita est) gratiam benevolentiamqve indipiscebatur? quam sæpe numero ne quærebat quidem, cum offerretur sponte. Rarè, sine BUCHNERO, expeditiones quondam Academicæ: nunquam in casum abière spes, ubi manum ille admovisset. Rectorem Magnificum tertiâ ipsum salutavit vice Academia, Decani in Amplissimo Philosophorum Collegio munus octavum, quod, quamdiu nostrum stetit Athenæum, ne uni contigit hætenus, feliciter consummataqve laude absolvit. Senioratum suscepit Academic. A. cl. Ioc. XLIX. Amavit omnes impensissimè, comitatem, concordiamq; vel invidiâ ipsâ teste, constantissimè excoluit. Candor in convictu germanus, sermo ponderosus, gravitas, prudentia, quanta comparari vix possunt ulli, in hoc uno enituerunt. Sacra verò publica quo

studio

studio ille adiit? quâ devotione coluit? quâ custodivit observantia? Habet in Excellentissimo BUCHNERO, quæ imitari cupidissimè possit, gloriæ virtutumqve vivida exempla. SEU SIT, SEU FUERIT, SEU POST VENTURA TRAHATUR ætas. Ad novissima ut deveniamus, decretorius exposcit dies, & qui fatis aliquandiu præluserat, exitialis morbus. Fatendum equidem, pertenui usum valetudine, & infirmo admodum fuisse corpore annis junioribus BUCHNERUM nostrum. Neque ipsi tantæ longævitas argumenta tum temporis superesse visa fuere. Veruntamen, qui aquilarum ad instar rejuvenescere pios facit Deus in operibus mirabilis, matre (ut decet) adhibitis medicamentis, efficaci benedixerat effectu. Ut scilicet juvenis studiose Doctorem, ut Academia Seniorum, ut orbis literarius Lumen, ut optimi quique Patronum aliquando ipsum experirentur. Composito ergo ille, atque ad arbitrium ordinato vitæ statu, in seros usque annos, per Numinis benignitatem usus est. Nisi quod paulò ante, cum in finem, proximus iret annus, (d. XXIX. Decemb.) tentari quâdam tenus se animadvertisset: huic tamen ut in tempore occurreret discrimini, aeris mutandi causa, in prædium suum fusticum, cui ab Apolline nomen cesserat, abierat. Rediens in sequente die, Hygiam sibi quodammodo iratam sensit. Latebat infelix podagra, ac erumpere nitebatur quidem; sed brevi tamè ipsum restituit quieti, ut jam maturus ad ordinaria vitæ munia iteranda appareret. Non abiit reverà, sed, ut imperiofius rediret, abscondidit se aliquantisper atrocè malum. Ipsi Calendis Februariis impotentes cum efferbuisset in æstus, Medici, Viri Excellentissimi, DN. D. MICHAELIS SENNERTI Anatom. & Botan. Prof. Publ. sollicitata fuit opera. Vigil & exquisitissima mox adhibebatur cura, nec laboribus comparium, nec sumptibus detractum est quicquam. Invaluit tamen contumax tortor, acuto atque altius latitante calore, qui mitigari quidem, sed expugnari nullo pharmaco poterat. Accersitus in mutuum & consilium & auxilium. Excellentissimus Vis DN. D. CONRADUS VICTOR SCHNEIDERUS, Prof. Publ.

Publ. nec non Cels. Principum Anhalt. Archiatet, nihil inter-
 misit profus, quod morbum depellere posse crederetur. Ac
 quis fatis posuerit antidotum? Noluit prorumpere foras pe-
 riculum, sed intra vitalia detronuit occultius ac fallens. Ac-
 cessere sine somno tractatae noctes, articulorum tremor, emac-
 ciata senectus. Cum igitur inter tot moriendi causas exer-
 ceretur diu nobilissima anima, & tormentis affligeretur cor-
 pus, accitus X. Febr. Plurim. Rev. Dn Confessionarius, Ec-
 clesiae nostrae Archidiaconus est, qui uti assiduus in partibus
 obeundis exitit, sic audita exomologesi, sacris animam
 BUCHNERI recreavit epulis. Et eo quidem tempore in mi-
 tiorem desinere eventum, rem omnem, credidisset. Sed fra-
 ctum corpus, prostrataeque vires suprema non obscure innue-
 bant. Factum igitur, ut nudius octavus (XII. Februarii erat)
 sub primi conticinii tempus, hora circiter 2. mat. intra devo-
 tissimas preces ac melodias, adstantibus Venerabili Mysta, re-
 liquisque necessariis, pacatissima solutione in JESU suo fini-
 retur BUCHNERUS: posteaquam annos ferè LXX. fecisset
 vivens. Atque ita rarissimam felicitate Poëseos Professionem,
 ad Ann. XLV. Eloquentiae munus ad XXX. Electoralium Alu-
 mnorum Ephoriam, ad XXIII. Senioratum Facultatis suae, ad
 XXIV. Academiae verò, ad XII. summam fide gloriae: traduxit.
 Extra casum nunc, extra cruciatibus positus est BUCHNERUS.
 Spiritus DEO Divinisque junctus mentibus ævum agit, quod,
 quoniam nec oculus vidit, nec usurpavit auris, incomprehen-
 sibile dicendum. Corporis autem exuviae, cum postea solen-
 ni contumulandae ritu sint; ex ædibus BUCHNERIANIS, in
 Templum Marianum primò, post, concione habitam, in Æ-
 dem sacram, Arci contiguam, deducuntur. Agite igitur,
 agite, CIVES ACADEMICI, & frequenti atque cumula-
 tissimo officio, meritis ac famam Illustris Viri, Praeceptoris,
 SENIORIS, prout ex omni debetis parte, exequias venite.
 P. P. a. d. XIX. Februarii, Anno recuperatae gratiae clò Ibc LXI.

DICTIO

DICTIO AD EXEQVIATORES
 INCLITAE HUIUS ACADEMIAE
 RECTOR MAGNIFICE,
 PER ILLUSTRIS ET GENEROSISSIME
 LIBER BARO, PATRES ACADEMIAE ET COETERI
 EXEQVIATORES ADMODUM REVERENDI, NOBILIS-
 SIMI, CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, EX-
 CELLENTISSIMI, STRENI, AMPLISSIMI,
 CLARISSIMI, PRUDENTISSIMI, FLO-
 RENTISSIMI &c.

Uctuosa omnibus videntur Erudito-
 rum virorum fata, & iis cum primis talia sunt,
 qui Literis navant operam, dicati studiis libera-
 libus. Penetrant magis animum & acriori luctus macro-
 risque, ut Civium ordinem confundunt cæcus sui funera;
 Nam ut in constituto corpore si vel unum membrum vimp-
 tiatur, ad reliquas partes quoque redundat doloris sensus,
 ita laeso Academiae corpore, tanto magis adversus artium
 Profesores sevit dolor, quanto hi æquius jacturam suam
 estimare norunt. Viximus & nos funestos dies, incesti-
 mus dejecti sæpe & luctu squalidi, nunquam enim VIRI E-
 ruditi funus sine luctu est. At vehementer dubito diem lite-
 raria rei funestum magis in proximis annis illuxisse, quam
 XII. Februarii fuit, quo de Studiis humanioribus præclare
 atque magnificè meritus & hoc nomine in universo orbe lite-
 rato, quocumque, is patet, celeberrimus & stupenda crudi-
 tionis VIR, AUGUSTUS BUCHNERUS è valitudine, quæ
 aliquandiu afflictus tenebatur, vitam concessit. Mallet enim
 equidem in his dicendi partibus vel alia fata deploranda
 esse.

B

esse.